Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Acta et decreta

Hieronymus von Croaria

[Hagenau], 11. Apr. 1500

Iacobi Locher philomusi poete et oratoris laureati ad nobilem ac prestantissimum iurisconsultum dominum Herionymum de Croaria: carmen admonitorium

urn:nbn:de:bsz:31-313501

Visual Library

Jacobi Locher philomuſi poete ⁊ oratoris laureati ad nobilē ac p̄ſtantiſſimū iuriſconſultū dn̄m Hieronymū de Croaria: carmen admonitoriū.

Fidus amor nexu ſtabili: clariſſime doctor:
  Me tibi coniunxit: palladiumq; decus.
Eſt etenim ſtudium nobis cōmune duobus:
  Virtutis concors eſt tenor atq; fauor.
Tu quodcūq; iubes: preſto tibi noſtra voluntas
  Paret: ⁊ obſequium iuſſa benigna facit.
Nāq; tuo monitu nihil eſt perfectius inq;:
  Nec citra rectum ſtant tua facta modum.
Quid tamen ipſe velim muſarū candide fautor
  Accipe: non vtar garrulitate cliens.
Te penes: hammonis tanq; reſponſa tonantis:
  Concilij ſacri grandia facta latent.
Solus habere cupis iuuenes quod mille fouerent:
  Quod cupiuit latij theutoniciq; patres.
Da precor in lucem moritura volumina nunq;:
  His rebus patriam nobilitare potes.
Acta ſacri coetus lector mirabitur omnis:
  Tractatuſq; graues admemoraſſe iuuet.
Ceſar ab excelſo maioꝝ ſtemmate natus
  Intererat ſynodo: cardineuſq; chorus.
Intererant gentes ex omni parte recepte:
  Intererant reges: magnanimiq; duces.
Sol vbi purpuream frontem radioſq; coruſcos
  Erigit: ⁊ feſſos ſol vbi ſiſtit equos:
Et qua flammiuomus pſylloꝝ flumina ſiccat:
  Qua fremit ⁊ boreas: ſarmaticūq; mare:
Hoc ad concilium populi venere potentes:
  Et voces varias gens peregrina dedit.
Da precor in lucem rerum preconia: differ
  Et nihil illud opus quod nouitate valet.